447.a.17
2

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE

Usu Corticis Peruviani in Febribus Intermittentibus.

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Præfecti,
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

GEORGIUS BROWN,
HIBERNUS,
Societatis Chirurgo-Physicae
Edinensis Soc. Hon.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

Suave est ex magno tollere acervo. HORAT.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIX.

W. Blackall

with Comp.ts Brown

Jos: Banks

Viro admodum reverendo

JACOBO STOUPPE, A. M.

De DUNMURRY,

Nec minus ob morum integritatem,

Quam peritiam literarum fere ſummam

Praeclaro;

Nec non

JOANNI CAMPBELL,

ARMIGERO,

De BELFAST;

Viro, ob vitae probitatem,

Morumque comitatem,

Spectatiſſimo;

Proper ſummam benevolentiam,

Saepe in eum demonſtratam,

Plurimum habendis;

Has ſtudiorum primitias,

Ea qua par eſt obſervantia,

Sacras voluit

AUCTOR.

CORRIGENDA.

Pag.	4.	*lin.* 14.	*pro* proper	*lege* propter.
	7.	18.	uigram	nigrum.
	11.	5.	ſuam	ſuum.
	15.	7.	pervias	per vias.
	19.	4.	deſignunt	deſignant.
	23.	12.	typhum	typum.
	26.	4.	tendent	tendant.
	31.	4.	ſecare	ſecari.
	33.	12.	foeta	foeda.
	33.	17.	ſaevior	ſerior.
	34.	2.	quantum	quatenus.
	40.	10.	accedit	accidit.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

Usu Corticis Peruviani in Febribus Intermittentibus.

IN proverbium abiit, medicamentum nullum in re therapeutica plurimum posse, quod non etiam infaustum humano corpori fieri potest; et quo magis viribus pollere, eo magis noxium, si non opportune usurpatur, evadere.

Medicamenta inter omnia, quae materiam medicam ornant, cortex Peruvianus, sive ad qualitates ejus certe divinas, seu ad usum fere universum, aspicimus, in morbis, qui

qui ex debilitate vel ex putredine oriuntur, profligandis, primum ſibi jure vendicat locum.

Clarum hocce remedium a primo ingreſſu ſuo, diu ſumma laude efferebatur; poſtea vero nonnihil ex fama ac praeſtantia per aliquot annos amiſiſſe viſum eſt.

Mala imo peſſima, ſive ex doſi nimis parca pendentia, ſeu ex uſu intempeſtivo, ſeu ex morbo ipſo graviter adhuc ſaeviente, remedii hujus celeberrimi effectus noxii habebantur.

Miſeri idcirco aegrotantes, per ignorantiam et opiniones falſas remedio potentiſſimo privati, donec medici, fida experientia edocti, uſum corticis Peruviani in medicinam revocarunt.

Inter hos auctores qui calamos in honori chinconae vindicando exercuerunt, Sydenhamus, Torti, et Mortonus clare eminent. Noſtris etiam diebus, vires ejus non ſolum in febribus intermittentibus, verum etiam continuis ſiſtendis, pollere, praxin per variam liquido monſtratur.

De

De cortice Peruviano, hoc in ordine tractare decrevimus.

I. De qualitatibus ſenſibilibus.
II. De virtutibus.
III. De ejus ratione agendi.
IV. De uſu in febribus intermittentibus.

I. Corticem Peruvianum ad claſſem amarorum praecipue attinere, medici fere omnes hodie conſentiunt; attamen vi etiam aſtringenti et aromatica ſimul conjunctis gaudere.

Scriptores plerique vim corticis ſtipticam omnino denegant. Vis autem corticis et diſtillatione et partium aliarum ſolutione liquido probatur. Guſtui etiam ſaporem aſtringentem impertit cortex. Experientia vero hoc ultra dubium ponit. Infuſio cinchonae in aqua frigida praeparationes ferri colorem in nigram mutat.

Qualitatem ejus aromaticam oleo eſſentiali per chemicam analyſin ibi detecto, omnino

nino pendere, verisimile videtur. Num virtutes aliae praeter illas jam enumeratas ei inhaerent, oculum humanum adhuc latet. Omnibus quidem innotescit, remedium astringentibus amaris et aromaticis, inter se utcunque conjunctis, constans, aeque efficax et salutiferum ac corticem nondum repertum esse.

II. De virtutibus nunc aliquod dicendum est.

Hae sunt vires tonicae, et antisepticae. De prima, nempe vi tonica, haud videmus quo modo dubitari possit, praesertim si modo animum ad medicamenta alia, qualitatibus similibus instructa, advertamus. Haec enim omnia amaritudine praedita, qualiacunque sint, ut chamaemelum, gentiana, &c. in morbis omnibus, ex laxitate pendentibus, maxime sunt utilia.

Astringentia item, ut gallum, chalybs, et alumen, easdem dotes assumunt. Cum idcirco medicamenta talia maximo cum commodo adhibentur, in morbis qui debilitatem

tatem cauſam ſuam agnoſcunt; nonne veriſimillimum videtur, hoſce bonos effectus viribus eorum tonicis deberi? Cum autem cortex Peruvianus in eandem finem commode uſurpetur, luce eſt clarius, eum virtutibus ſimilibus frui.

Quoad vim ejus antiſepticam, tot tamque validis ſtabilitur experimentis a celebr. M'Bride et Pringle, inſtitutis, ut non locus eſt dubitandi. Quanquam vero, virtus ejus antiſeptica per chemicam miſturam liquido monſtretur, quatenus tamen in fluida humana introductus, vim antiſepticam exerat cortex, inter medicos adhuc haud conſtat.

III. De ejus ratione agendi.

Corticem Peruvianum et fluidorum putredini et ſolidorum laxitati fortiter occurrere, omnes fere recentiores conſentiunt. Quomodo autem tales edit effectus, an in fluida immediate per vim ſuam, utcunque antiſepticam, an ſolum in ſolida viva per vires tonicas, hactenus multum diſceptaverunt medici. Pleriſque, iis nempe qui conditionem aliquam ſanguinis, morborum fere

omnium cauſam aſſignant, placet opinio, quae totam in fluida operationem corticis refert.

Quatenus vero haec opinio de ratione corticis agendi ſolum a pathologia veterum humorali educitur, attentionem haud meretur, quia errori doctrina haec omnino innititur. Experimenta vero de corticis qualitatibus extra corpus humanum inſtituta fuerunt ab auctoribus jure celebratis, quae vires antiſepticas ejus ſatis evincunt. Nos ergo oportet, illas perſcrutare opiniones, et inquirere quatenus factis obſervatiſque appareat, corticem Peruvianum in ſyſtema aſſumptum operationem ſimilem in ſanguinem edere, ac in fluida extra corpus. Univerſalis fuit hujuſmodi doctrina dies ante Hoffmanianos, cauſas nempe morborum, praeſertim febrilium, e ſtatu aliquo fluidorum morbido prorſus pendere. Sententiis talibus idcirco praeconceptis, *actio medicaminum* apud veteres *congruit* ; remedia nempe virtutes ſuas in molem fluidorum immediate communicare, obviam eundo

vel

vel ſanguinis tenuitati, ſi typhum putridum induat morbus, vel ſpiſſitudini, ſi ſignis inflammatoriis ſtipetur febris. Corticem Peruvianum putredinem profligare, aërem ſuam fixabilem corpori impertiendo, clar. M'Bride cenſet. Experimenta tamen celeber. Pringle, aliiſque medicis, inſtituta, indicant, medicamenta alia, aëre fixabili omnino exuta, virtutes poſſidere cortice multo magis antiſepticas, et corpora haudquaquam in ratione aëris ſui fixabilis putredinem arcere.

Cortex in ventriculum aſſumptus, Culleno judice, non in fluida, ſed in vim nervoſam operatur; unde fibrae motrices in actionem revocantur, laxitas amovetur, totuſque ſyſtematis tonus bene roboratur; unde etiam omnia quae diverſis muneribus corporis inſerviunt ſalva praeſtantur; corticem vero effectus ſuos in fluida niſi per ſolida edere, rationi haud conſentaneum videtur. Scopum in eundem tendunt facta. Actio quidem corticis devorati evadit tam ſubito, ut vaſa ingrediendi atque vi antiſeptica

tica febrem ſolvendi cortici ſpatium non foret. Omnibus itaque in re medica verſatis innotuit,

Corticem, qui ſolum intervallis intermittentium fauſte uſurpatur, quo propius ante paroxyſmi ingreſſum adhibitum, eo magis ad morbum debellandum valere.

Corticis effectus, ait * illuſtris noſter Cullenus, tam breves, tam tranſiles ſunt, quod in morbo coercendo nihil valeat, ſi intervallo longo ante paroxyſmi ingreſſum propinetur. Tertio enim die intermittentis quartanae, cortex ad unciam unam multo plus in rem faciat, quam ſi ad tres in prima intermiſſione exhibeas.

Si in fluidis igitur prius abſorbeatur, quam poteſtates ſuas edat, ſequitur, remedii hujuſce effectus in ſyſtema multo diutius permanſuros oportere. Clar. Pringle hac de re tractantem audiamus :

" At the ſame time, it muſt be acknowledged, that ſuch is the quick action of the bark,

* Vide Praelect. Cullen.

bark, in removing theſe fevers, that its febrifuge qualities muſt be ſomething different from its antiſeptic."

Aſſerit Cullenus *, corticem devoratum tam aegre ſolutionem ſubire, ut vires ejus febrifugas longe prius exerceat, quam canalem alimentarium ingreſſus fuerit. Exempla imo nonnulla extant, in quibus poſt octo dies, abſque aliquo ſolutionis ſigno, vomitu rejectus fuit. Corticis etiam virtutes in gangraena ſiſtenda eandem opinionem firmant.

In quacunque enim parte corporis occurrit morbus, ſive pedem ſeu manum occupaverit gangraena, quantitatem corticis ſolum parvulam, per totum circuitum ſparſam, morbido loco accedere poſſe, pro certo habemus.

In gangraena curanda, cortex virtutes ſuas falutiferas in partem putridam edere nequaquam poteſt ; tota enim fabrica partis malo affectae omnino convellitur ; gan-

* Vid. Praelect. Culleni.

gangraena itaque extra circuitus fines ſedem habet. Natura autem ſemper benigna inflammationem vaſorum, quae loco morbido contigua jacent, plerumque efficit; unde morbi curſus ſiſtitur, maſſaque putrida mirum in modum amovetur. Aliquando tamen naturae vires medicatrices, ſuo impares officio, inflammationem partis contiguae ciere nequeunt; in hunc ſcopum tamen feliciſſimo cum eventu adhibetur cortex.

Haud nos latet, gangraenam e ſolidorum laxitate et debilitate in quibuſdam caſibus pendere. Quandocunque vero pars affecta, propter debilitatem, annulo inflammatorio non circumcingitur, uſus corticis tum temporis eam citiſſime amovet, tonumque vaſis contiguis inſtaurat, et inflammationem ciet, limitem a natura inter viva et mortua ſapienter deſignatum.

Ex hiſce praemiſſis de gangraena liquido patet, corticem non in fluida immediate, ſed in fibras agere motrices. Jamjam obſervatum eſt, corticem haud facile ſolutionem ſubire, etiamſi exhibitus virtutes ſuas

quam

quam citiſſime profert : Hinc inferre licet, corticem Peruvianum in ſyſtema nervoſum, praeſertim ventriculi nervos, operari *. Unde etiam opinari fit neceſſarium, mutationem illam, qualiſcunque ſit, in ſtomachum inductam, in alias partes corporis etiam propagari, pervias, imo abditas obſcuraſque, quas medici nervoſum conſenſum appellant. Corticem vero in ſyſtema nervoſum effectus ſuos primos exerere, nec minus comprobatur e vi ſua moleſta, ſi non opportune adhibeatur.

Experientia factiſque docemur, clarum hocce remedium ſolum in remiſſione febrem intermittentem ſolvere poſſe ; durante vero paroxyſmo, haud parum nocere corticem tunc propinatum. Nam per vires ejus tonicas, diatheſis phlogiſtica multum intenditur, ideoque exacerbatio augetur. Cortex etiam in morbis vulgo nervoſis nominatis, qui e ſolidorum laxitate et nervorum mobilitate pendent, ſumma cum laude uſurpatur.

* Vide Praelect. Culleni.

patur. Ex omnibus hiſce praemiſſis, ſatis liquido apparet, vim ſuam in ſolida viva edere corticem. At quomodo talem mutationem in ſyſtema nervoſum effecit chincona?

Facta quidem multa ſuadent, poteſtates ejus in nervos tonicas eſſe; tonum nempe ſyſtematis nervoſi poſt corticem exhibitum multo intenſiorem reddi. Sed ex his effectibus ſenſibilibus, methodum ejus operandi in fibras motrices ſcire non datur; ſive vis ejus tonica, ſolum ex virtute ſua aſtringente, ſeu ex tribus qualitatibus jamjam memoratis pendet, hactenus medici ignorant. Multa ſunt medicamenta in claſſibus aſtringentium amarorum et aromaticorum, quae ſingulas haſce dotes fortiores quam cortex habent. Attamen exhibita vel ſolitaria, vel utcunque inter ſe conjuncta, effectus aeque efficaces ac cortex perficere non poſſunt. Veriſimile itaque videtur, qualitates ejus ſibiipſi eſſe proprias, et medicos adhuc omnino latere. Remedium enim nullum forſitan in lucem prolatum

tum eſt, quod vice corticis ſubſtitui poteſt.

IV. De uſu corticis in febribus intermittentibus.

Ut corticis uſus clarius intelligatur,

1*mo*, De febrium pathologia,

2*do*, De tempore quo primum ad corticem recurrendum eſt,

3*tio*, De medicinis uſui corticis praemittendis, iiſque ſimul uſurpandis,

4*to*, De modo ejus adhibendi; pauca diſſerere convenit.

1*mo*, *De febrium pathologia.*—Febres fere omnes idiopathicae in duo genera diſtinguuntur, intermittentes nempe et continuas. Remiſſionem ſymptomatum in his parvam, et aegre notandam, invenit morbus; illis vero eſt intervallum magnum, ſpectatumque. Haec duo genera cauſas remotas valde diſſimiles habent. Febres intermittentes, ut hodiernis placet, cauſas ſuas miaſmata, continuae vero effluvia humana et frigus agnoſcunt. Sic conſtat obſervatis; quomo-

do autem hae cauſae in morbo faciendo operantur, haud mea refert. Veriſimillimum eſt, cauſas febris remotas omnino in ſolida operari: Quomodo autem cauſae ex genere diverſae, in cauſam unam proximam, ſpaſmum nempe formando, agunt, explicatu difficile eſt. Relationes intimae inter effectus ſuos cauſaſque, aeque ac primum et ultimum catenae annulum, omnino ignorant mortales. Facta pauca ſenſui ſolum obvia eos cognoſcere licet. Omnia enim hoc ultra tenebris et nocte teguntur.

Febres, quanquam omnes ex genere intermittentium cauſas ſimiles agnoſcunt; ſpecialiter ſunt autem diverſae, typoſque varios ſibi aſſumunt. Ratio hujus diverſitatis, cur nempe haec quartanum typum, illa vero tertianum habet, medicos latet. Sed ad rem noſtram nihil attinet; quantumcunque enim de natura contagionis medici diſceptaverunt, conſentiunt fere omnes, eam per vires ſedativas, ſibi proprias, in ſyſtema nervoſum operari.

Sympto-

Symptomatibus enim variis, quae debilitatem plane designunt, suo primo ingressu stipatur morbus.

Ob hanc causam, aeger per opus aliquod cito fatigatur; organa varia officia sua tardius solito perficiunt; labescunt spiritus, et species dirae ac horridae animum aegrotantis quietemque perturbant.

Quandoquidem stadium frigidum debilitati et calidum frigido succedit; e phaenominum proximitate sola, ea causas et effectus esse, et causam paroxysmi primi debilitatem, nempe omnium subsequentium esse causam, concludere licet *?

Quoniam itaque miasma, causa princeps, visum humanum penitus fugit, extraque vires medentis sedem suam habet, aggredi illas causas, quae primae ejus oculis sese afferunt, medicum oportet.

Verba doctiss. Van Swieten audiamus †: "Videtur enim," inquit, "curatio febris talis hoc imprimis inquirere, ut primum illud

* Vid. Cullen's First Lines.

† Vide Aphorism. 756.

illud tempus, frigus nempe, et prima illa cauſa, viſcoſitas nempe, liquidi arterioſi, et inertia fluidi nervoſi, ſuperantur. Tunc enim reliqua febris ſymptomata cavebuntur, cum nunquam ſequantur, niſi priora praeceſſiverint."

Vires tonicas in debilitate profliganda et ſuperanda, plurimum poſſe, rationi et experientiae convenit. Remedium idcirco intermittentibus commodiſſimum eſt cortex. In hunc finem loquitur Clar. Cullenus: "Of all the tonic remedies mentioned, the moſt celebrated, and, perhaps, the moſt certainly effectual, is the Peruvian bark."

2. *De tempore quo primum ad corticem recurrendum eſt.*—Apud medicos multum agitatur, quo die intermittentis ad corticem confugiendum eſt? Conſentiunt auctores, effectus quidem noxios ex uſu ejus oriri, ſi exhibeatur his in caſibus ubi obtinet diatheſis phlogiſtica.

"Occurrit interea, ſive ob earum partium affectus, ſive aliis de cauſis, vitium quod curationi febrium intermittentium maxime ad-

adverſatur; eſt, ſcilicet, ubi in his acriori aeſtu ferveant aegri; atque, ſi tunc exhibeatur cortex Peruvianus, nuſquam ſuccedat; imo, ſi urgeatur, ejus uſus noxius omnino eſſe poteſt *."

Febres intermittentes, in vernales et autumnales, jure diſtinguunt auctores. In his in putredinem cito ruit morbus; illis vero ſymptomata inflammatoria clare eminent.

Juxta aliquos, corticem adhibere non licet, donec morbus curſum ſuum abſolverit, et aeger convaleſcere inceperit. Indolem autem coeli, plagae, et temporis, medicum prudenter aſpicere oportet, ut aegrorum ſaluti probe conſulat. Haec enim omnia ſymptomatum indoli multum conferunt; qua bene cognita, ex uſu medicaminum ſpem fovere licet; ea enim ſemper cum coelo mutantur, ut Celſus diſerte loquitur; "Differre quoque, pro natura locorum, genera medicinae, et aliud opus eſſe *Romae*, aliud in Ægypto, et aliud in Gallia †."

Siquidem

* Vid. Senac. de Feb. p. 338.

† Page 6.

Siquidem ſub tempus vernale ingreditur morbus, ſi typhum regularem diſtinctumque aſſumat, ſi per terras campeſtres, a paludibus peſtiferis longe amotas, vagetur, ſi demum ſignis potius inflammatoriis quam putridis febris ſtipetur, ad corticem mature confugere prohibetur. " * And, indeed, there ſeems to be leſs uſe for the bark, as by bleeding once or twice, clearing the primae viae by a purge and vomit, and afterwards by keeping the body open, the paroxyſms commonly leſſen daily, till they quite diſappear." Imo etiam, ſi remiſſiones ſpectatas et notabiles faciat febris intermittens, ſi autem adſint ſymptomata quae diatheſin phlogiſticam utcunque obtinere indicant, prudentis eſt medici corticis uſum differre ; ſic cenſet Doctiſſ. Pringelius : " I come now to the bark, and ſhall obſerve, that theſe fevers have often ſuch fair remiſſions, and even with a breaking in the water, as might perſuade a phyſician, unacquainted with their nature, that they would always

* Vid. Pringle, p. 204.

always yield to that medicine; but he is often diſappointed."

Medici factis docti conſentiunt, ut quo magis irregulares ſunt paroxyſmi, eo magis, a cortice nimis mature adhibito, timendum eſt. In illis praecipue quae remittentes appellantur, caute propinanda eſt chincona; faciem enim duplicem haud raro induunt, ſaepe in continuas procliviter ruentes.

Quanquam hi morbi remiſſiones ſubire videntur, attamen nihil commodi a cortice ſperandum eſt, niſi typhum, vel tertianum, vel quartanum, induerint †. Imo, non infrequenter accidit, remittentes per medici imprudentiam in febres malignas continuas, omnium peſſimas, mutari ‡.

In remittentibus igitur et intermittentibus vernalibus, quoniam ſymptomata diatheſeos phlogiſticae illas tam arcte obſident, cortex uſque ad diem provectiorem vitandus

† Vid. Monro on Military diſeaſes, p. 170.

‡ Vid. Hillary's Obſervations on the Diſeaſes of Barbadoes, p. 22.

dus est. Si vero sub tempus autumnale, intermittens per terras paluſtres publice graſſetur, ſtrages horribiles longe lateque proferens, ad corticem illico confugiendum eſt. Nam, ſi res ita ſe habent, non poſſumus abſque periculo ſummo corticem prima intermiſſione omittere *.

Intermittentes, poſt aeſtatem ſolito fervidiorem, formam tam malignam proferunt, quod opus eſt prima intermiſſione corticem fortiter adhibere. Opinio apud aliquos † valet, febres intermittentes, ſi medicina non comprimantur, aliis morbis chronicis, ut epilepſiae,

* Vid. Cleghorn on the Diſeaſes of Minorca; Vid. itidem, praelection. Culleni.

† Verum ex illis, inveterata mala, et latentiſſimos, nullis fere remediis ſanandos, morbos, cordis palpitationem, epilepſiam, podagram, &c. per intermittentes tolli, vel ſaltem ſuſpendi illorum actuoſitatem. Ubi ergo cortice Peruviano fugantur tales febres, a quibus tot et tanta beneficia expectari poterant, male conſulitur aegris, quidem verum haec damna medentis incuriae, non vero optimo huic remedio, tribui debent. Vid. Comment. Boer. Aphor. 767.

pilepſiae, maniae, et hypochondriaſi eſſe levamen. Quanquam hocce poſitum factis innitatur, (nam anceps eſt opinio), attamen experimentum tale non abſque diſcrimine inſtitui poteſt. Morbus enim, ſponte currendo, ferocior multo evadit. Bene quidem cecinit poeta,

" Mobilitate viget, viresque acquirit eundo."

Intermittentes vernales, Sydenhamo judice, quae ſymptomatibus mitioribus gaudent, fere ſemper ante grave anni tempus ſponte ſua feliciter evaneſcunt *.

Quid igitur vetat, tali in caſu, periculum facere? Ratione enim non eſt indignum ſyſtema nervoſum, tam multum per paroxyſmos agitatum, mutationes magnas ſubire. Omnes in re medica vel parum verſati optime ſciunt, nihil magis medelae morborum, qui ex cauſa aliqua, proxime in nervos ipſos agente, oriuntur, conferre, quam viciſſitudinem ſubitam iis utcunque inductam. Exinde enim habitus priſtini, qui ſeminia morborum conſtituunt, et fo-

* Vid. Sydenham, p. 53.

vent, cito franguntur. Attamen, ſi inſtat tempus autumnale, et vires febris nihil adhuc labeſcant, ſed, contra, curſum pertinaciter tendent; ſi mala nova improviſo exoriantur; ſi demum autumnalis ſit febris, et ſpargere cedem ſtragemque incipiat putredo, quam citiſſime exhibendus eſt cortex.

Intermittentes, quibus prima ſymptomata ſunt lenia, haud infrequenter ex improviſo fiunt lethales: Monuit illuſtr. Cleghorn *, quod dum criſin ſpontaneam indies expectabat, et pergente tam leniter febre, et apyrexia tam magna interveniente, ut eventum propitium ſtatim ſperaret, miſeri attamen aegrotantes, ex improviſo ſuperveniente paroxyſmo maligno, et omnibus in pejus ruentibus, citiſſime e medio tolluntur; quandocunque igitur eſt autumnalibus apyrexia notabilis, quam Cleghorn † aſſerit circiter diem quintam tertianis accedere, febri illico occurrendum eſt.

Inter

* Vid. p. 216.

† P. 208.

Inter varia mala, corticis uſui in cura intermittentium imputata, duo clare eminent. Cenſent nonnulli, febres intermittentes, arte praeciſas, ſaepius recidere, quam illas natura curatas.

" * Major medentium apud noſtrates, ut vulgi calumniis, et aſſiduis aegrorum querimoniis, ſe ſubducerent, in hac tempeſtate ad Peruvianum corticem confugere, at parum proſpere; nam in pernicioſos ſcopulos aegrotantes ſuos perſaepe deducere. Uſu febrifugi per aliquot dies equidem latebat, ſub cinere doloſo ignis; verum poſtliminio violenter recrudeſcebat."

Exempla ſunt quidem non pauca intermittentium, quae poſt curationem iterum redeunt. In praxi ſua prima apud Minorcanos cenſet clar. Cleghorn, morbos recidivos ex uſu corticis ſaepe fieri: Intermittentes aliquot igitur, periculi cauſa, naturae *medicatrici* conceſſit. Ille autem exinde concluſionem omnino diverſam deduxit.

Ægri

* Ramaz.

Ægri enim illi, consilio naturae relicti, morbum iterare, multo fuerunt procliviores iis, qui corticem libere devoravere.

Monet auctor idem clarissimus praeterea illos sive natura, seu cortice, seu utcunque sanatos, quorum vires atque animi, ob *maladiam* recentem, minus invalescunt, febri recidivae praesertim proclives esse; falsc igitur incusatur cortex *.

In honore corticis sic dicit clar. Mead †; 'Et praeter memorata jam commoda, illud etiam observavi, quod, depulso hoc medendi ratione morbo, iterati in eundem lapsus minor semper est metus."

Est ‡ intermittentis, morbos, praecipue qui viscera abdominalia obsident, aliquoties inducere;

* Vide Pringle. Lind.

† Vid. Monita, p 44.

‡ Videbatur autem tunc, per summos aestus praegressos, liquidissima sanguinis parte dissipata, residuum spissum et tenacius, difficilius per hepatis angustias transire potuisse, cum ibi omnis sanguis a visceribus abdominalibus rediens et venosus, per venae portarum convergentes

ducere; ſi jam inveteraverit morbus, congeſtiones et obſtructiones viſceris alicujus expectare licet, quae ſaepe ſaepius vel lienem heparve infeſtant. Ex illis quidem, modo non ſolutis, hydrops vel ſchirrus, vel inflammationes haud raro oriuntur, quae aegris debilibus certiſſime lethales fiunt. Auctores aliqui uſui corticis omnia haec mala referunt; aliique, quanquam cauſam eorum, corticem non aſſignant; attamen, eis ſubſtantibus, haud utendum eſſe judicant †.

Recentiores autem, experientia docti, inter ſe conveniunt, haſce affectiones haud ex cortice ſed intermittente pendere, et eis praecipue

convergentes ramos tranſire debeat, abſque renovata cordis actione; unde obſtructio hic nata bilis debitam confectionem non tantum, ſed et reliquorum viſcerum chylopoieticorum functiones turbavit. Vid. Commen. Boerh. aph. 767.

† Cum autem ingenti aegrorum numero obruti medici, et imprimis in populiſſimis urbibus, corticem Peruvianum exhibebant, in his febribus plerumque peſſime ceſſit. Vid. eund.

praecipue accidere, quos longum per tempus vexaverit morbus †. Iſthaec, cum ita ſint, quo ſaepius nempe repetatur paroxyſmus, eo ſaepius haec mala ſubſequuntur, febrem quam citiſſime ſuperare medicum oportet. Intermittente enim ita cedente, congeſtiones, &c. quae eam cauſam ſuam agnoſcunt, ſtatim ſolvuntur. Nec hydrops, nec icterus, judice Lind, intermittentem, modo poſt unum alterumve paroxyſmum repreſſum, unquam ſubſequuntur. Attamen ſi, propter vel apyrexiam non ſatis perſpicue formatam, vel ullam aliam ob cauſam, corticem adhibere non liceat; vel hydrops, vel icterus, vel vertigo, ſuperveniunt; et periculum eorum eſt omnino in ratione directa morbi durationis, et numeri paroxyſmorum qui ante ceſſere. Omnia haec mala, igitur, morbi naturae, non cortici, tribuenda ſunt.

3. *De medicinis uſui corticis praemittendis, et iis ſimul uſurpandis.*—Quanquam venaeſectio

† Vid Cleghorn, Lind, Pringle.

ſectio intempeſtive celebrata intermittentem magis pertinacem reddat; attamen non negandum eſt, quin feliciſſimo cum eventu, in quibuſdam caſibus, ſecare poſſit vena.

Obſervatum fuit antea, naturam eſſe intermittentis, ſanguinem ad partes internas propellere, unde *dira inflammatio* aliquando oritur. Ad venaeſectionem igitur, in hiſce caſibus, quam citiſſime confugiendum eſt. Si aeger juvenilis temperamento ſanguineo gaudeat, ſi vigeat diatheſis phlogiſtica, ſymptomata inflammationis attentionem ſummam requirunt; nam, corticem adhibere ante ſanguinem emiſſum, aegrum eſt jugulare; contra, autem, paroxyſmi poſt venaeſectionem multo leniores decurrunt, et remiſſiones notabiliores redduntur. Parce autem et caute datur ſanguinem extrahere; quoniam, ſi parum ultra juſtum urgeatur, multo pertinacior evadit morbus.

Illuſtr. Cleghorn notat, venaeſectionem, ultra vicem primam vel ſecundam, non tuto perfici poſſe; quanquam enim morbi ingreſſum obſideat diatheſis phlogiſtica, attamen

men ſi medicus, morbum epidemicum obſervando, diſcat, putredinem citius vel ſerius ſupervenire, ſanguinem parcum emittere oportet; nam cortici, in his caſibus praeſertim, confidendum eſt. Sin autem vernalis ſit intermittens, quam raro comitatur putredo; ſed, contra, quae typum inflammatorium ſaepe ſaepius induit, praeſertim ſi formam remittentis ſibi aſſumat, liberius lancea utendum eſt. Auctores, quo ſtadio intermittentis, ſive in remiſſione ſeu paroxyſmo, celebranda eſt venaeſectio, multum inter ſe diſceptant. Veteres cum Celſo ſentiunt, " ſi vehemens febris urgeat, in ipſo impetu ejus ſanguinem mittere hominem jugulare eſt; expectanda ergo intermiſſio." Sed experientia recentiores clare docuit, ſanguinem, ſub ſtadium febris quodvis, niſi frigidum, vel dum effluant ſudores criſin portendentes, tuto extrahi poſſe †. Si ſtadii calidi circiter ingreſſum ſecetur vena, aegroti miſeri exinde multum

† Vid. Cleghorn, p. 199.

multum levantur; calor ardens, fatum saepe properans, minuitur, crisisque citior morbo occurrit.

Cathartica et emetica ante corticem esse praemittenda, jure conveniunt auctores: "Febrem intermittentem non satis tuto cortice Peruviano discuti posse, nisi primum eliciatur vomitus, et alvi etiam dejectiones ciantur, haud ignotum est *."

Notabilis illa fluidorum derivatio in viscera abdominalia, intermittentibus propria, malorum variorum aegro est causa. Exinde enim intestina colluvie foetaque materia infarciuntur; alvo, ut febribus solet, dure astricta.

Congestiones et obstructiones periculum intentantes, ex eodem fonte saepe oriuntur. Porro etiam febris ita intenditur, ut apyrexia distincta saevior justo se offerat. Medicus itaque occasione opportuna corticem propinandi privatur. Quatenus itaque alvum astrictam laxare, intestina contentis putri-

* Vid. Mead monita, p. 41.

dis exonerare, congeſtiones reſolvere, vel praevenire, et denique quantum irritationem febrilem lenire, apyrexiamque diſtinctam comparare, inſerviunt cathartica, eatenus celebranda ſunt. Ea autem nimis libere deglutita morbis febrilibus perniciem ingerere, neminem latet. Evacuantia quidem omnia, cathartica praecipue, vires ſyſtematis imminuunt. Purgantia igitur draſtica abhorrent febres. Omnibus innoteſcit, intermittentes per catharticum, fortius juſto propinatum, ſaepe relapſum ſubire. Iis igitur quae alvum leniter ducunt, ut ſalibus mediis, decoctoque tamarindorum, praecipue innitendum eſt.

Apud omnes fere jure laudatur ſolutio tartari emetici, quia alvi dejectiones ciere, et vomitum ſimul elicere, poteſt. Lenibus igitur purgantibus nunquam prohibitum eſt, niſi putredo pejor ſolito opem corticis quam proxime invocat. Rheum, quoniam inteſtina evacuat, tonumque eorum ſimul roborat, apud Mead † princeps catharticorum

† Longe autem me docuit experientia, neceſſe plane eſſe,

rum habetur. Conditiones vero intermittentis diverſae evacuantia diverſa forſitan exigunt.

Si inteſtina materia putrida diſtendantur, ut morbi incepto ſolet, ſales medii, ni fallor, conſilio medentis peropportune reſpondeant. Illi enim vi antiſeptica praediti, putredini primis viis adhaerenti forſitan occurrunt. Inter corticis adminiſtrationem, laxare alvum ſubinde neceſſarium fit. In hunc finem, rheum cortici additum commode adhibetur. Tartarum emeticum in aqua ſolutum conſilio eidem, ni fallor, rheo tutius reſpondeat; praeterea, neceſſarium eſt, remedium hoc adhibere, cauſa nempe vomitionem ciendi; itaque rheum ſupervacaneum foret. Occurrunt non raro, in coelis calidis, intermittentes vernales, quae vires aegri tam ſubito labefaciunt, ut catharticum, utcunque lene ſit, abſque diſcrimine

eſſe, exiguam rhabarbari remedio huic admiſcere; ea ſcilicet ratione, ut alvus bis ſaltem quotidie dejiciat. Vid. Mead monita, p. 42.

crimine ſummo, non ingeri poſſit. Clyſmatibus igitur ſolum, alvo aſtricta, uti licet.

Inter remedia varia, intermittentium curae adaptata, haud minus habentur emetica. Ea quidem ſatis libere devorata, vomitum plenum faciunt, et hoc conſilio quam citiſſime poſt inceptum morbum danda ſunt. Sordes ventriculo adhaerentes hoc modo per os ejiciuntur, tonuſque ejus mirum in modum renovatur. Functiones ventriculi, febre perſtante, per ſympathiam mirificam cum ſummo corpore, nunc ſpaſmo affecto, labeſcunt; et vice verſa; ſpaſmus enim ſuperficiei, ob ventriculum turbatum, multum intenditur. Emetica igitur citra plenum vomitum utiliſſima fiunt. Data in doſi parca, nauſeam ſolum faciendo, humores ad ſummum corpus potenter revocant, ibidemque ſpaſmum reſolvunt, et varias ſecretiones, praeſertim cutaneam, adaugent. Exhibita igitur ante acceſſionem, ſpaſmum ſuperando, eum multum adlevant;

adlevant; imo quandoque ei omnino occurrunt.

Ratio in promptu erit, cum iidem effectus eorum, in ſyſtema nervoſum paulo ſaepius iterati, morbum frequenter funditus ſuſtulerunt. Emetica itaque ſubinde propinata, remiſſiones multo notabiliores reddunt, locumque corticis devorandi peropportunum praebent. Sed inſuper excretiones promovendo, vaſaque excernentia emulgendo, ad prohibendas viſcerum congeſtiones, quae in hoc morbo toties adveniunt, haud minus valent emetica.

Quotieſcunque ventriculus, per totum morbi decurſum, cibi faſtidio, nauſea, malo oris ſapore, notiſque ſimilibus afficiatur, toties vomitus eliciendus eſt. In omni caſu tali ab cortice caute abſtinendum eſt, donec ventriculus per emeticum roboretur: Eum enim tunc temporis adhibere, eſt intentare periculum *.

Porro, emeticum ſubinde iteratum, conſilio duplici reſpondeat; id enim pylorum tranſeundo

* Vid. Lind's Appendix, p. 322.

tranſeundo inter nauſeandum, alvi etiam dejectiones ciere valeat. Si medicus haſce cautelas neglexerit, ſi vomitionem ciere pro re nata omiſerit, magnopere timendum eſt, ne omnia graviora fiant, et morbus intervallis ſuis debitis privetur. Æger quandoque in remiſſione, *cephalalgia* tam gravi vexatur, ut incaſſum detur cortex. Emplaſtrum epiſpaſticum ſpinae dorſi admotum huic levamen citiſſime affert * ;

Omnibus autem medicamentis, quae opem cortici conferunt, praeſtat opium. Tempus commodiſſimum ejus adhibendi eſt, dum perſtat ſtadium calidum. Opii gr. un. cum tinctur. ſacr. ʒij miſtum peropportune deglutitur. Tinctura enim eocum conjuncta alvo aſtrictae occurrit. Quomodo in hocce caſu opium operatur, haud mea refert. Scire ſufficit, eum, circiter horam poſt acceſſionem incoeptam, devoratum, plerumque opem praeſentem facere, acceſſionem nempe *abbreviare*, dolorem capitis ſummovere, cutis ardorem extinguere, moxque

* Vid. Lind's Appendix, p. 322.

moxque ſudorem, aegro gratiſſimum, toti corpori invocare, et demum poſt ſomnum placidum aegrotantem ab omnibus moleſtiis pene liberare; et morbo, pro tempore, ſic interciſo, opium corticis Peruviani uſui commode viam ſternit.

4to, De modo corticis adhibendi.

a. Quo tempore intervalli propinandus eſt cortex.

b. De Formulis.

c. De Doſibus.

a. *Quo tempore intervalli propinandus eſt cortex.*—Inter fere omnes conſtat, corticem ſolum in remiſſione febris intermittentis tuto adhiberi poſſe.

Nonnulli autem auctores, quo intervalli tempore, ſive primo ejus ingreſſu, ſeu non niſi hora provectiore, uſurpandus eſt cortex, multum inter ſe diſcrepant. Facta vero non pauca, eaque imo valida, utrinque proferuntur: Hinc difficile eſt lites componere. Hac de re mecum recolens, apparuit, hanc, quam illam, magis rationi quadrare opinionem. Medici praxi ampliſſima inſtructi,

inſtructi, effectus corticis Peruviani, quantumcunque fortes ſint, in ſyſtema perbreve manere, conveniunt; ideoque remedio uti non licere opinantur, donec fere ſub paroxyſmi regreſſum. Dubitare equidem non poſſum, quin exempla ſint febrium intermittentium, ubi ſymptomata tam gravia graſſantur, ut primo intervalli reditu corticem propinare opus ſit.

In quartanis autem, quibus longum accedit intervallum, corticem deferre ad diem, qui acceſſioni proxime praecedit, docent plerique. Febres intermittentes, hebdomadam fere circiter ſecundam poſt medelam receptam, iterum non raro recrudeſcere neminem latet. Fortuitum praevenire talem, corticem paucos dies ante relapſum expectatum dare debent medici, neque vacat experientia. Si * ita exhibitus ſit, votis omnino, imo melius, medentis reſpondere, quam ſi per ſpatium temporis ei aequale, proxime poſt morbum praeciſum, eo uti pergant.

b. *De*

* Vid. Cul. Praelect.

b. *De formulis.*—Cortex Peruvianus in ſubſtantia exhibitus, plus, caeteris paribus, poteſt quam ſi per chemiam, quocunque modo paratus.

Sive enim calore, ſeu miſtura ſola, tractatus eſt, aliquid ex ejus virtutibus ſemper deficit. Subſtantia igitur ſincera, quotieſcunque liceat, utendum eſt. Haud me tamen latet, corticem per ſe deglutitum nonnullorum ventriculis eſſe ingratum, unde nauſea non raro oritur ; nonnullis praeterea tam debiles ſunt ventriculi, ut corticem omnino reſpuant. Alii alias methodos, ut ſaporem gratum cortici reddant, poſuere. Hae tam variae, quamvis quoad effectus fere ſimiles, quod paucas tantum et obiter attingere licet ; neque vero dubitans, quin ſingulis harum, caſibus in quibuſdam, cum commodo uti poſſimus.

Formula haecce, quae aeque efficax et ſimplex invenitur, corticem propinandi, cuiquam alii forſitan vix cedat, viz. ut quan-

titas ad dosin sufficiens in forma boli, chartula farinacea tecti, aegro adhibeatur. Sunt homines vero, qui tali formula uti nequeunt; igitur, vice boli, ad aliam confugiendum est. Si electuarium magis arrideat, tentare debet; electuarium vero Peruvianum, Culleno judice, ventriculus praecipue abhorret. Ad alias igitur praeparationes nosmet accingamus.

Varia corticis sunt vehicula, quibus medici utuntur, qualia sunt coffee, lac, extract. glycyr. mucilag. g. Arab. &c. Inter quae, extract. glycyriz. ab illustr. Culleno, mucilag. g. Arab. a D. Lewis, magni aestimantur. Ventriculus autem frequenter tam grave afficitur, ut corticem in substantia, utcunque paratum, omnino aversetur aeger.

Necesse itaque fit, ut ad aliam corticis praeparationem confugiamus.

Extractum ejus ex menstruo, vel spirituoso vel aquoso, vel ex utroque simul conjuncto, comparatum, inter ejus calore praeparationem,

parationem, parte aromatica, cortici ſincero inhaerente, omnino privatur.

Praeterea, extractum ſapore empyreumatico, guſtui valde ingrato, induitur. Decoctum etiam haud parum damni, propter calorem, ſubit; partes enim ejus volatiles inter coquendum omnino evaneſcunt.

De omnibus autem corticis praeparationibus, infuſum ejus in aqua frigida gratiſſimum eſt, conditionique ventriculi debili praecipue aptatum. Sin autem aeger corticem ſub ulla forma deglutire nequeat, ad enemata tunc vertere licet; imo ſuperficiem * externam illo cum illinendo, ſpem nec vanam fovere, datum eſt.

c. *De doſibus.*—Vix neceſſarium videtur aliquod hac de re proferre. Doſes hujus medicamenti hodie fere omnibus ſatis notae ſunt. Hae omnino pendent ex aegri aetate, indole ſymptomatum, dum

* Vid. Lind.

dum exhibetur, et ex rebus hujuſmodi aliis, quae regulas immutabiles omnino reſpuunt; ſed quae ſemper ad notitiam morbi, prudentiamque medentis, relinqui debent. Caeteris vero paribus, cortex ad unciam cum ſemiſſe, partitis vicibus adhibitus, in ſingula intermiſſione, adulto ſufficit. Notat clarus de Haen, corticem in quantitate parca propinatum flocci pendere.

Ad finem hujus diſſertatiunculae tandem perventum eſt, quae ex neceſſitate tantum, et ut meipſum, ut decet, ad ritus academicos conformarem, non mehercule ſcribendi *cacoethe*, ſuſcepta fuit.

Hujus academiae Praeceptoribus, per orbem terrarum praeclaris, gratias nunc agere volo; neque eorum ad diem vitae ſupremum immemor ero, qui doctrina ac medicinae philoſophia mentem meam juvenilem imbuebant.

Incolis Edinae generoſis animo imperare nequeo, quin gratias, multa propter horum beneficia

beneficia in me collata, quam maximas agam.

Quamvis ab hacce *urbe*, non literis minus quam comitate ornata, cito discessurus sim, nunquam *eam* forsitan, eheu! revisurus; anni tamen pauci, spectatos inter amicos tam dulce peracti, meo ex animo nunquam elabentur: "Coelum, non animum, mutat, qui trans mare currit."

FINIS.